

SCRIPTA

Numéro Scripta : 127

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 336

Auteur(s) : Henri Ier, Eu (comte)

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : [1101-1138]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte rapportant la confirmation faite par Henri Ier, comte d'Eu, des donations faites par les ancêtres de ce dernier, ainsi que différentes donations effectuées par le même comte.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° IV, p. 20-22.

Dissertation critique

Le premier acte de la pancarte est daté de 1101. Henri Ier, comte d'Eu, se retire en 1140. L'abbatiate d'Osbern intervient entre avant 1101 et après le 7 octobre 1118. Son successeur, Foucher est attesté seulement vers 1138.

Texte établi d'après a

Dominice Incarnationis anno millesimo centesimo primo, Henricus comes Augensis, filius comitis Willermi, venit Ulterisportum et concessit quicquid pater suus Willermus vel antecessores sui ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu dederant vel concesserant, ita quod nulli clamorem sive calumpniam facienti responderet de hiis omnibus que jam dicta ecclesia habebat, vel sui vel antecessorum suorum tempore die uno tenuerat ; et hoc donum super altare sancti Michaelis posuit, videntibus et testantibus istis baronibus : Roberto fratre suo, Hugone de Evremo, Hugone vicecomite, Roberto filio ejus, Goiffredo de Sancto Martino, Bartholomeo de Lonreio, Ancello de Fraelvilla multisque aliis. Dedit idem comes Henricus libertatem de piscatoribus elemosine ejusdem ecclesie, et statuit ut nullus eos amplius ad aliquod servitium summoneret, teste Roberto fratre suo, et Radulpho Bono, et Roberto fratre ejus et aliis multis. Alia autem vice, ipse comes omnibus hominibus, quos eadem abbatia in Ulterisportu habet, tantam dedit libertatem ut nec ipse nec sui heredes ulterius aliquas ab eis exigent collectas, vel aliquas super eos facerent tallias, teste Roberto fratre suo, Ingelranno de Hastings, Goiffredo de Sancto Martino, Gauffrido de Cuverville et aliis multis. Ecclesiam quoque Sancti Jacobi, que in Ulterisportu est, idem comes ab uxore Gisleberti Sacerdotis filiiusque ejus, ac omnibus heredibus suis, qui injuste sanctuarium Dei hereditarie possidere volebant, eripuit, et ecclesie Sancti Michaelis liberaliter dedit ; piscemque cotidiane consuetudinis ad victum monachorum, quem ecclesia jam multo tempore perdiderat, et singulis annis viginti solidos ad vinum missarum, decimamque denariorum thelonei de Criolio ; et consuetudinem edendi, quam in eadem abbatia die festivitatis sancti Michaelis cum suis hominibus ipse, et comitissa, habebat, quod dampnum ecclesie omnino

divertit, ex toto dimisit, et ne ipse vel sui successores hoc ulterius repetere auderent, excommunicare fecit. Dedit in Augo oppido eidem ecclesie omnes redditus fori sancti Johannis Baptiste, ita liberaliter et sicut ipse habebat, aquamque de Eu nocte una, festivitatis videlicet sancte Marie Magdalene, et locum convenientem ad molendinum construendum super aquam, sub castello Augi, in cujus molendini edificatione dompnus abbas Osbernus dedit septem libras et decem solidos. Hoc autem ideo fecit comes, quod destruxerat molendinum sancti Michaelis subtus villam de Maribus, quando fecit aquam de Eu convertere de antiquo cursu suo, per novum alveum, juxta villam de Ulterisportu. Hoc etiam concessit Margarita comitissa, et fratres supradicti comitis, Robertus, Willelmus major, Willelmus minor, testibus hiis : Ancello de Fraelvilla, Gaulterio de Sancto Martino, Ingelranno de Hastings multisque aliis. Ne autem predicti comitis heredes has donationes vel concessionem violare audeant, perpetualiter excommunicare fecit, presente domino Osberno abbate et omni conventu ejusdem ecclesie, testantibus et concedentibus fratribus suis Roberto et Willermo baronibusque patrie, et multo cleri populique conventu.